

EPISTULA LEONINA

CCXIX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM UNDEVICESIMAM (219) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	02-03
UNUS PRO OMNIBUS.....	04
CHRONOGRAMMATA IOHANNIS DEMMING.....	05
CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL.....	06-08
CARMEN IOHANNIS TERESI.....	09
DE MASCIS ORI IMPONENDIS (<i>Urbanus Ferrarius</i>).....	10-11
OFFICINA VOCABULORUM (I).....	12-16
INNOCENTIA AËRIS ULMENSIS.....	17
NEPENTHES DISTILLATORIA NOMEN UNDE ACCEPERIT.....	18-24
MYTHI GRAECORUM: THESEUS ATHENIS ET IN CRETA QUAE FECERIT.....	25-30
FABELLA GRIMMIANA (101): DE DIABOLO VESTE VIRIDI INDUTO.....	31-34

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

magnis laboribus lexicographicis obrutus diu non vacavi Epistulae Leoninae conscribendae. Iam ex quindecim ferê annis Orbi Picto Hexaglotto componendo deditus paulatim et gradatim metam video huius curriculi laboriosi desideratam.

Nunc tandem periodici Leonini tibi offero Epistulam ducentesimam undevicesimam (219); utinam tibi haud ingrata sit! Tolle lege mirare.

Cum furor coronae sive verus sive ficticius saevire non desinat, oportet ne cedamus offensionibus viralibus et contra eamus audentiores. Interim multo damnosiora ipso vîro videntur vîri remedia putativa. Nam reverâ timendum est, ne potentes totius ferê mundi sub praetextu valetudinis tuendae libertatem civibus fraudulenter ereptam sibi retineant usque ad Kalendas Graecas. Admiror ingenium Aldi Huxley et Georgii Orwellii vaticinum. In istac tempestate rerum solacio

*nobis sint Bonae Litterae atque Studia Humaniora. Tu autem
vale pancraticê et perge mihi favere.*

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 20. m.Septembri a.2020**



**UNUS PRO OMNIBUS
OMNES PRO UNO**

CHRONOGRAMMATA IOHANNIS DEMMING

Zum 18. September 2020

RVTH BADER GINSBURG ILLA IVDEX LIBERA AVDAX TENAX IN
VRBE VASINTONIA NATVRAE CONCESSIT SENEX ANNOS NATA
LXXXVII

Ruth Bader Ginsburg, jene unanhängige, furchtlose, unbeugsame Richterin, ist im hohen Alter von 87 Jahren in Washington gestorben.

Hdf

VLI STEIN

PIC TOR SAPIENS LATEQVE CLARVS

ANNO AETATIS SVAE SEPTVAGESIMO QVARTO

EX INOPINATO HANOVERAE DE VITA EXCESSIT

HDF

2020

ABSENTE IVSTITIA MERA

FIRMA PAX NON FIET

Fehlt echte Gerechtigkeit, gibt es keinen sicheren Frieden.

hdf

CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERT DOUTEIL

Zum 20. September, dem **25. Sonntag im Jahreskreis, Lesejahr A:**

2020*/2020* Inter prIMos eXstant noVIssIMI, atqVe Inter noVIssIMos sVnt prIMI. – Unter den Ersten <Unter denen, die jetzt die Ersten sind,> sind Letzte, und unter den Letzten sind Erste. – vgl. Mat 19,30

Zum 15. September, dem **Fest der Sieben Schmerzen Mariens:**

2020* VIrgo sIngVLarIs et fortIs, stabas DoLorosa IVXta CrVCeM IesV Christi VnigenItI tVI, ora Ibl sIne fine pro fILIIIs tVIs. – Einzigartige und starke Jungfrau, du standest voller Schmerzen am Kreuz Jesu Christi, deines eingeborenen Sohnes, bitte dort immer für deine Kinder.

Zum 14. September, dem **Fest der Erhöhung des Heiligen Kreuzes:**

2020* eXaLtata et gLorIfICata sIt CrVX DoMInI nostrI IesV ChrIstI qVae est nostra saLVatIo Vera, noVa atqVe perpetVa. – Erhöht und verherrlicht sei das Kreuz unseres Herrn Jesus Christus. Es ist unsere wahrhaftige, je neue und ewige Rettung.

2020* saLVe, CrVX, spes fortIs et VnICa MVnDI! eXsVLta, VoX pIa, aLLeLVIA! – Sei begrüßt, Kreuz, mächtige und einzige Hoffnung der Welt! Juble, fromme Stimme, halleluja!

Zum 13. September, dem **24. Sonntag im Jahreskreis, Lesejahr A:**

2020* DIMIttas DebIta VsqVe septVagIes septIes. – Erlasse Schulden bis siebenzig Mal sieben Mal. – vgl. Mt 18, 21-35

Zum 13. September, dem **Fest des heiligen Johannes Chrysostomus:**

2020* Ioannes ChrYsostoMVs CoenobIta eXpertVs et orator egregIVs et DoCtor sapIens et patrIarCa fortIs InIVste eXpVLsVs eXstat. – Johannes Chrysostomus ragt heraus als erfahrener Einsiedler, als ausgezeichnete Redner, als weiser Lehrer und als zu Unrecht vertriebener standhafter Patriarch.

Zum 12. September, dem **Fest des Namens der Muttergottes Maria:**

2020* o festIVItas noMInIs pIae VIrgInIs ParentIs MarIae! – Oh Fest des Namens der gütigen Jungfrau-Mutter Maria!

Zum 9. September, dem **Fest des heiligen Petrus Claver:**

PetrVs CLaVer soCIetatIs IesV VIXIt Cartagenae VoLVntarIVs et LIber serVVs serVorVM. obIIt eXhaVstVs a VIVa, fortI et InfInIta CarItate. a Leone papa sanCtVs ConsaCratVs est. – Petrus Claver von der Gesellschaft Jesu hat in Cartagena (Hafenstadt Kolumbiens, wohin die Sklavenschiffe aus Afrika kamen) freiwillig und ohne Zwang als Sklave der Sklaven gelebt. Er starb verzehrt von seiner tatkräftigen, starken und unbeschränkten Nächstenliebe. Heiliggesprochen von Papst Leo <XIII., der von ihm sagte, dass kein Heiliger nächst Christus ihn je so beeindruckt hätte; den Namen „Sklave der Sklaven“ hat sich der Heilige selbst gegeben und wurde bei seiner Heiligsprechung bestätigt>. – Petrus Claver SJ, 1580-1654

Zum 8. September, dem **Fest der Geburt der Muttergottes Maria:**

2020* MarIa VIrgo VIrgInVM, ora pro nobIs! – Maria, Jungfrau der Jungfrauen, bitte für uns!

2020* natIVItas saCra est hoDIE sanCtae VIrgInIs regaLI eX progenIe eXortae et praeCeLsae GenItrICIIs IesV ChrIstI eX SpIrItV, CVIVs VIta InCLYta et pIetatIs CVnctas ILLVstrat sIne fIne eCCLesIas totIVs hVIVs orbIs. – Heute ist die Gott geweihte Geburt der heiligen Jungfrau, die aus königlichem Geschlecht hervorgegangen ist, und der hochehrwürdigen Mutter Jesu Christi aus dem Geist; ihr berühmtes und frommes Leben erleuchtet dauerhaft alle Kirchen dieses gesamten Erdkreises. – In Anlehnung an die beiden ersten Vesperantiphonen der alten Liturgie am Fest Mariae Geburt.

Zum 4. September, dem 4. Jahrestag der Heiligsprechung von **Mutter Teresa von Calcutta** in Rom, deren liturgisches Fest am 5. September gefeiert wird:

2020* Mater Teresa CaLCVttae ante IIII annos DeCLarata sanCta, ora pro paVperIbVs. – Mutter Teresa von Calcutta, vor vier Jahren bist Du feierlich als Heilige erklärt worden, bete für die Armen.

2020* pIa et praeCLara sanCta Mater Teresa De CaLCVtta oret pro totIs paVperIbVs orbIs nostrI. – Fromme und hochberühmte heilige Mutter Teresa von Calcutta, bitte für alle Armen unserer Welt.

2020* Teresa Mater pIa paVperVM totIVs orbIs nostrI, ora pro eIs. – Theresa, gütige Mutter der Armen unserer ganzen Welt, bitte für sie!

Zum 3. September, dem **Fest Gregors des Großen:**

2020* GregorIVs praefeCtVs VrbIs, abbas, DeLegatVs papaLIIs, egregIVs papa serVVs serVorVM totIVs orbIs, pastor bonVs, fortIs, patIens, VerVs et attentVs, CantVs faVtor, sCrIptor atqVe VoX sapIentIae et reI pIetatIs orator fVI. – Gregor (540-614) war Präfekt der Stadt <Rom>, Abt <des von ihm

gegründeten Andreasklosters: 575>, päpstlicher Gesandter <in Konstantinopel: 579-585>, als herausragender Papst ein Knecht der Knechte <*Christi – als erster benutzte Gregor diesen auf Mk 10,44 gründenden, von allen späteren Päpsten übernommenen Titel*> auf dem ganzen Erdkreis, ein guter, machtvoller, geduldiger, echter und aufmerksamer Hirt, Förderer des Gesanges <*Gregor gab dem Gregorianischen Gesang seinen Namen*>, als Schriftsteller und eine Stimme der Weisheit <*deshalb wird Gregor als einer der vier lateinischen Kirchenlehrer verehrt*> und Redner der Frömmigkeit!

Zum 01. September:

2020* septe**M**ber q**VI**a **I**b**I** habet **IM**bres **V**ere freq**V**ent**I**ores. – September heißt er, weil es in ihm wirklich häufigere Regenfälle gibt. – vgl. Durandus, Rationale 8,4,11

CHRONOGRAMMATA ECCLESIASTICA

ARTIFICIOSE CONFECIT

PATER HERBERTUS DOUTEIL

CARMEN IOHANNIS TERESI

Thu, 25 Jun 2020 20:09:08 +0200 (CEST)
Optime Amice,

Vobis volo subicere carmen meum: " *Loquere, fili, de historia mea!*" pro Epistula Leonina.
Salutem Vobis dico

Johannes Teresi

Loquere, fili, de historia mea!

Age, loquere filiis tuis de tua re,
nihil celatur inter verba,
versus solvuntur sicut musica sub ventum.
Limites non opponuntur amori
qui, purus, regenerat, ut calor solis, futurum.
In mente nebulosa nascitur odium,
fratres contra fratres trahens.
De occidente latere ad oriens orbis latus
sonitus turbae bellicosi audiuntur,
vexilla vento agitantur, aliena a mentis conceptis.
Clamat pax quae oritur in corde silenti:
confitere ante speculum quod in te vides
mysterium divinumque ferens.
Cum ut folia autumnii
dies tuae nigrae inscribantur in diario,
loquere de gentibus tuis, de lunis praeteritis,
de iis qui vita defuncti sunt.
Aspice colores aurorarum,
formas nubium super cacumina montium,
in horizonte ubi fit occasus.
Ante aeternum, horae, dies
captivae capiuntur in clepsydra
vitri fragilis;
grana arenae praestant cursui temporis.
Labitur limpidus motus maris sub lunam,
lentus frangit saxum,
nihil potentius quam vis undarum;
ita potentior aspectu amor
in cor, ut fulgor, irruit
amatae, amicorum;
glaciam dissolvit surdium cordis dominatorum.
Tunc, age, audere contra adversarium, viciniore
profer divinum iussum:
" Ἐντολήν καινήν δίδωμι ὑμῖν,
ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους,
καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους"

Johannes Teresi

DE MASCIS ORI IMPONENDIS

**D.20. m.Jun..a.2020 h.16:40 scripsit Urbano dos Santos Ferreira
Brasilianus:**

Ave, Leo noster Latine!

Mitto tibi quid sentiam de mascarum usu secundum recentiores investigationes et litteraturam scientificam. Vide num tibi placeat vel num tibi utile sit.

Vale semper!

Urbanus Ferrarius

Non paucis in urbibus et oppidis Brasilianis, necnon per varias universi orbis regiones, ad continendam vîri covidiani propagationem cives utriusque sexûs (aliquando et pueri!) mascas ferre coguntur.

Quid nobis dicendum est? Verene possunt mascæ continere vira? Duas res consideremus: et mascas et vira.

Omnia vira possunt inveniri aut intra cellulam aut extra eam. Hæc, quæ inveniuntur extra cellulam, appellemus vira. Guttulas autem appellemus illas aquæ aut salivæ particulas quæ transportant vira per aerem. Minimæ guttulæ circiter $2,5\mu\text{m}$ (duo virgula quinque micrometra); maximæ vero $10\mu\text{m}$ (decem micrometra) habere possunt. Sed unumquodque virus tam parvum est, ut intra unam tantum guttulam quæ per aerem vagatur computentur inter mille et decem miliones vîrorum.

Elementum illud textile, ex quo mascæ componuntur et per quod vira saccantur, spiramentis abundat, id est, abundat parvis respirationis foraminibus. Spiramenta mascarum N95, quæ æstimantur esse altissimæ qualitatis, habent inter $0,3\mu\text{m}$ (zero virgula tria micrometra) et $0,5\mu\text{m}$ (zero virgula quinque micrometra). Si vero mascas communes, sive medicas sive domesticas, consideremus, spiramentorum magnitudo potest variari inter $1\mu\text{m}$ (unum micrometrum) et $10\mu\text{m}$ (decem micrometra). Præterea, si mascas ori et naso iniquê accommodes, obliqua spatia fiunt per quæ vira penetrent.

Ex his quæ dicta sunt, iam possumus duas saltem afferre conclusiones: (1) guttulæ penetrant plerasque mascas; (2) licet aliquæ mascæ altioris qualitatis æstimentur, licet spiramentis quam minimis instruuntur, guttulæ tamen sic mascarum superficiei adhærere possunt, ut per respirationis motum vira absorbeantur. His conclusionibus adde quod unum tantum virus, quod penetret mascam, satis est ad totum organismum inquinandum.

Ergo mihi dubium non est, quin prætores et præfecti, cum imperant, ut mascae gerantur, rationes sequuntur prorsus alienas a quæstione sanitariâ.

Si mihi non credis, lege per temetipsum symbolam quam professor Denis G. Rancourt publici iuris fecit die 11 mensis Iunii huius anni 2020:

<https://www.rcreader.com/commentary/masks-dont-work-covid-a-review-of-science-relevant-to-covide-19-social-policy>

Leo Latinus Urbano Ferrario s.

**Summas gratias! Libenter tuam symbolam divulgabo. Haec raptim, mox certe plura. Utinam feliciter vivas.
Medullitus te salutat Leo Latinus.**

OFFICINA VOCABULORUM (I)

Praeparationes Orbis Picti Hexaglotti

theod. Bildschirm – angl. display – fr. écran – hisp. pantalla – ital. schermo; monitor

***visificium**, -ī n.

Verbis modernis, q.s. “screen” et “écran” et “pantalla”, denominatur:

- 1) album visificum cinematographicum
- 2) quadrum visificum (televisionis vel computatri vel similis instrumenti).

***othona**, ***othonium**, ***othonidium** (cfr gr. et neogr. ὀθόνη) displicent *Gaio Licoppe*, editori Melissae Bruxellensis, veterano Latinitatis vivae multimodis optimè merito, qui manuscripta Orbis Picti Hexaglotti diligentissimè perlegere solet. Sentit talia verba Graecanica non intellegi ab hominibus graeci sermonis imperitis. Hoc mihi videtur argumentum minus probabile. Nam iam Ciceronis aetate graecanicâ verba multa infuerunt sermoni Latino, etiam nomina rerum technicarum. Ii autem Latinitatis vivae defensores, qui talia nomina adhuc nesciunt, usu sermonis vivi facile et libenter addiscent.

Alterum autem argumentum, quo Gaius usus recusat nomen, q.e. othonium, gravius mihi esse videtur: Significatio huius verbi, q.e. “pannus linteus”, quae originaliter spectaverat ad album visificum cinematographicum, non quadrat ad partem televisionis et computatri visificam. Iisdem instrumentis non inest pannus linteus!

Ex alterâ parte coniunctio verborum, q.e. “quadrum visificum”, parum aptum est, si agitur de adiectivis eidem nomini addendis aut de aliis substantivis ab hōc nomine derivandis. E.g. i.q. “*unterer Touchscreen*”, parum convenienter exprimitur verbis, q.s. “*quadrum visificum tactile inferius*” – quae confictio nimis longa salebrosa esse videtur, quia tribus adiectivis substantivo addito pallescit color sermonis Latinus.

Brevius et aptius dicitur: “**inferius *visificium tactile**”.

Ceterum “**display**”, “**Anzeige**” i.q. “**indicamen**, -inis n.”

cinema screen - *visificium *cinematographicum

theod. Fallschirm – angl. parachute – fr. parachute – hisp. paracaidas – ital. paracadute

umbella dēcidua

A) NOMINA USQUE NUNC PROPOSITA:

Instrumentum, quod anglicê appellatur “*parachute*”, in litteris neolatinis usque nunc variis verbis novatis parum sufficientibus est denominatum:

1). **Iosephus Mir** in *Palaestra Latina* (N.187 (a.1964), Ann.34 (fasc.3), p.375,49) multa nomina vel circuitiones verborum affert:

“*COGNASSO: «retardator (!), instrumentum casibus retardandis»;*
A. BINI (L'uso vivo della lingua lat., Vallechi, Firenze, p.65):
«instrumentum casum retardans»; *G. LURZ (SOC.LAT.,11 (1943);*
18(1952)6): «desultorium»; *Juventus (24,10,106; 25,10,93)*
SOC.LAT.: «umbella pensilis»; *BADELLINO : «umbraculum quod*
casum per sublime moderatur ; umbraculum»; *BACCI: «lapsus*
moderamen; umbella; de caelo labentium tutamen, tutamentum,
tutaculum» ; «umbella adapertilis, salvifica; tegmen salvificum»
(GENOVESI). Candidatus Lat., 2(1929)36, PAL.LAT., 22(1952)156):
«decidiculum»;...”. ----

2). **Iosephus Holzer (Xylander)** in litteris Iosepho Mir missis (*Palaestra Latina* An.22, N.132, a.1952, p.156) de hac notione Latinê reddendâ scribit ea quae sequuntur:

„*Pro paracaidas «decidiculum» haud inepte novasti. Equidem per litteras Lurtio Monacensi «umbellam desultoriam», sed pro copiis instrumento illo lapsum et casum retardante ac moderante e caelo per aera in terram descendentibus «copias desultorias» feci. Neque me fugerat adjectivum «desultorius» cum equite conjunctum jam pridem in usu fuisse, ut hussarus significaretur. Ita fit, ut adjectivo, quod est «desultorius», aliquid ambigui insit. Quapropter decidiculum in horreum meum condam et a «decidiculo» per derivationem fingam «decidicularius». Proinde «decidicularii» sunt ii milites, qui «decidiculo» ex aeroplanis transvectoriis in terram devolant secum omnem ferrentes belli apparatus ad rem necessarium.» ---*

3). In **Vaticanorum Lexico Recentis Latinitatis** indicatur «**umbella descensoria**». **Carolus Egger** militem hoc instrumento utentem «**militem deciduum**».

4). In **Lexico Auxiliari Christianus Helfer** affert duos neologismos: «**umbella descensoria**» et «***decidiculum**».

5).: In **Lexico Morganiano** haec duo nomina etiam afferuntur, praeterea «**lapsus moderamen**». ---

B) DISQUISITIO:

B) 1. Scilicet multas circuitiones illas verborum non sufficere ad instrumentum denominandum. Disputandum est de quattuor neologismis qui sequuntur:

decidiculum (JOVÉ), **umbella pensilis** (LURZ), **umbella descensoria** (LRL, HELFER), **umbella desultoria** (HOLZER).

B) 2. “**Decidiculum**” non est neologismus a Iosepho Mir (1912-2000) demum inventus, sed iam **a.1929** ab **Emmanuele Jové (1895-1936)** propositus in commentariis neolatinis, qui inscribuntur “**CANDIDATUS LATINUS**”: Annus II, mensibus Majo et Junio, Numerus 8, p.36: «**NOVA ET VETERA. HYDROPLANUM. ... 47 Paracaidas Decidiculum.**”.

At tribus de causis iste neologismus mihi videtur parum aptê confictus esse :

a. **Parachute** non est instrumentum cadendi vel decidendi, sed homo eodem utens non cadit vi instrumenti, sed solâ vi gravitationis. “**dēcid-i-culum**” habet **suffixum instrumentale**; ipso instrumento **non efficitur casus**, sed retardatur et mitigatur! Ergo – si nomen instrumentale volumus adhibere - potius “**retardaculum**” nominandum est. ---

b. Multo clarius est **nomen umbellae**, quia eodem **forma et structura instrumenti rectê describitur**.

c. Dicitur quidem in proverbio de gustibus deque coloribus non esse disputandum, tamen – ut verum confitear – “**decidiculum**” **auribus meis videtur esse figmentum nimis polysyllabicum parumque sonorum, nimis cacophonum**, praesertim cum formam genitivi pluralis respiciam: “*decidiculorum”, ne dicam de formis derivatis, q.s. “*decidicularius” aut “*decidiculatus” earumque genitivis pluralibus: “*decidiculariorum” et “*decidicatorum”
 *DECIDICULUM mihi videtur esse deridiculum! ---

B) 3. umbella dēscēnsōria: Casus hominis sive lapsus, qui fit per aera, minus aptê dicitur “descensus”.

B) 4. umbella pēnsilis:

Quod nomen cum iam pridem attributum sit rei omnino alii, si instrumento attribueremus, fieret ambiguum. Nam in lexico Roberti Ainsworth **umbella pensilis** indicatur esse **conopeum regium** (i.q. theod. *Baldachin*): Thesaurus Linguae Latinae compendarius, or A compendious dictionary of the Latin tongue, designed chiefly for the use of the British Nations in two volumes, London 1852, sub littera D): “A dais (canopy of state) ***conopeum regium, umbella pensilis.**”-----

B) 5. Si qui homo ex aeroplano desiliens hōc instrumento instructus est, nomen a Xylandro novatum praefero, q.e. **umbella dēsultōria** (ea quae Xylander affert ambiguitatem timens, hodie non iam valent, quia neque iam sunt “hussari” neque iam est equitatus militaris).

Si quae onera tali instrumento ex aeroplano ad terram transportantur, dicam instrumentum **umbellam onerariam**. Nomen autem generale adhibeo, q.e. **umbella dēcidua**. ----

C) CONCLUSIO

Denique notioni, quae anglicê dicitur “*parachute*”, notionibusque ab eâdem derivatis haec nomina attribuo quae sequuntur:

parachute; Fallschirm (generaliter): umbella dēcidua

Fallschirmspringen: dēsultūra umbellāta. –

mit dem Fallschirm abspringen: umbellā dēsilīre. -

Sprungfallschirm: umbella dēsultōria. –

Fallschirmspringer: dēsultor umbellātus –

Fallschirmjäger: mīles dēsultor. –

Fallschirmjägerkompanie: centūria dēsultōria. –

Fallschirmjägertruppen: cōpiae dēsultōriae (*Xylander*). –

(Fallschirm)-springerstiefel: caligae dēsultōriae. –

Springerturm: turris dēsultōria/ dēsultūrae umbellātae. –

Springerschein: diplōma dēsultōrium/ dēsultūrae umbellātae. -

Lastenfallschirm: umbella (dēcidua) onerāria

Rettungsfallschirm: umbella (dēcidua) salvifica

Bremsschirm: umbella refrēnātōria

Sprintschirm: umbella *cursitātōria. ---

Haec hactenus de *VISIFICIO et UMBELLA DECIDUA; alias certê plura.

IN OFFICINA VERBORUM

OPERATUR

LEO LATINUS

INNOCENTIA AËRIS ULMENSIS A.1722 A MAGISTRATU LATINE CONFIRMATA

cfr “Südwestpresse”, die Iovis, 17.Sept. a.2020, p.17



NOS SENIORES, CONSULES ET SENATORES

Liberae Imperialis Reipublicae Ulmensis, omnibus & singulis, ad quos praesentes pervenerint, intimamus, cum *Vir Honoratus & Spectatus, Hans Matthaeus Neubronner, Mercator & Civis Noster, tres Lagenas linteis albis*

apud Nos contextis, coëmtis, *candefactis* compactis, & ultra quadraginta dies asservatis, repletas N.716 ad 1718 notatas, signoque in margine depicto conspicuas, hinc *per Campidunum, Bolzanum, Veronam, in Italiam* transmittere instituisset, Nobis *Eundem* supplicem esse factum, ut huic adjuvando negotio, Nostras Ipsi communicare literas vellemus, quibus aeris Constitutionem apud Nos & Nostros, per DEI gratiam, salutarem adhuc & innocentem, nec non ab omnis luis Contagionisque pestiferae vitio *vacuam & immunem esse constaret* atque probaretur: Quas preces Nobis decenterveritati congruas esse scimus, hac ipsa gratificatione Consignationeque N.....Dabantur Ulmae, die 5. *Septembr.* Anno 1722.

NEPENTHES DISTILLATORIA
MIRABILIS PLANTA CARNIVORA
UNDE NOMEN BOTANICUM ACCEPERIT



nēpenthēs, -is f. gr. νηπενθής; gen. fem. sec. epitheton specificum: *Nepenthes distillatoria*. cfr **Liddell & Scott**, p.1174, s.v.: “νηπενθής, ἕς, (πένης) *banishing pain and sorrow*, epith. of Apollo, AP 9.525.14; φάρμακον ν., an Egyptian drug, Od.4.221, cf. Thphr.HP 9.15.1...” -



cfr **PLIN.nat.21,159** Helenium ab Helena, ut diximus, natum favere creditur formae, cutem mulierum in facie reliquoque corpore nutrire incorruptam. Praeterea putant usu eius quandam ita gratiam his veneremque conciliari. Adtribuunt et hilaritatis effectum eidem potae in vino eumque, quem habuerit **nepenthes** illud praedicatum ab Homero, quod tristitia omnis aboleretur. ---

cfr **PLIN.nat.25,11** ... Homerus quidem primus doctrinarum et antiquitatis parens, multus alias in admiratione Circae, gloriam herbarum Aegypto tribuit, cum etiam tum quae rigatur Aegyptus illa non esset, postea fluminis limo invecta. Herbas certe Aegyptias a regis uxore traditas Helenae suae plurimas narrat ac nobile illud **nepenthes** oblivionem tristitiae veniamque adferens et ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. ---



cfr **Carolus LINNAEUS:**

Hortus Cliffortianus, plantas exhibens quas in hortis tam vivis quam siccis, in Hollandia, coluit vir nobilissimus & generosissimus Georgius Clifford, juris utriusque doctor. Auctore Carolo Linnaeo, Amstelaedami 1737, p.431:

“TETRANDRIA: 1. NEPENTHES.

Nepenthes zeylanicum, flore minore. Breyn.prod.2.p.75.

Utricularia vegetabilis zeylanensium, Bandura cingalensibus dicta. Pluk.alm.394. t. 237. f.3.

Bandura zeylancia in extremo foliorum folliculum peniformem expansum habens. Herm.zeyl.16. Burm. Zeyl.42.t.17.fig.opt.

Priapus vegetabilis monorchis, Bandura cinghalensium. Amm.char.529.

Planta mirabilis distillatoria. Grimm.ephem.curios.ann.1.dec.2.p.363.

Crescit in Zeylona prope Columbum locis humidis sylvestribus & umbrosis, communicata a Cl. Burmanno.

Caulis teres; Folia alterna, lanceolata, sessilia, semiamplexicaulia, patentia, glabra, integerrima, desinentia in cirrhum filiformem (uti Gloriosa), quem terminat folliculus inflatus, oblongus, cylindraceus, ex ipso cirrho originem sumente cavitate, apice truncato margine reflexo, operculo orbiculari altero angulo affixo; pendet hic folliculus aqua refertus, singulari artificio ut merito inter rarissimas & maxime mirabiles orbis plantas locum habeat.

Caulis terminatur panicula florum, singulo calyce quadripartito & antheris quatuor apici styli adnatis ut in sisyrinchiis absque filamentis; in speciminibus siccis nullum video germen, hinc de sexu perfecto mihi nil constat. Fructum autem vidi, est enim is Capsula oblonga, laevis, columnaris, parum in medio ventricosior, truncata, stigmatate obtuso quadrangolo terminata, angulis obtusis, quadrilocularis, quadri-valvis. Semina numerosa, setacea, longitudine fere capsulae, utrinque attenuata, acuminata. –

Assumsi synonymon Breynii, cum enim si haec non Helenae nepenthes, certe Botanicis omnibus erit. Quis Botanicorum longissimo itinere profectus, si mirabilem hanc plantam reperiret, non admiratione raperetur, totus attonitus, praeteritorum malorum oblitus, mirificam Creatoris manum dum obstupescens adspiceret?"

cfr Helmut Genaust, *Etymologisches Wörterbuch der botanischen Pflanzennamen*, 3. Aufl., Basel/ Boston/ Berlin 1996, p.416, s.v. Nepenthes: „...Zum Verständnis des Namens ist zu beachten, daß im Anschluß an das antike Wort im 16.Jh. engl. nepenthe ‚drug supposed to banish grief or trouble from the mind‘ (Spenser), frz. *népenthès* (älteste Form *népenche* 1550 bei Ronsard) ‚drogue qui dissout les maux‘ (Dauzat 491); Bloch-W. 430) eine Rauschdroge meinten und so noch bis ins 18.Jh. verwendet wurden. Leider wird nicht mitgeteilt, welche offenbar pflanzliche Droge dies war (Opium, Haschisch?), ebensowenig die bot. Identifizierung des im 17.Jh. aufkommenden engl. Pfl.N. *nepenthe* ‚plant yielding this drug‘ (die aktuelle Bedeutung ‚pitcher-plant‘ erscheint ebenso wie im Frz. erst im 18.Jh.; Onions 607). Dies ist die Ausgangslage für die Übertragung des älteren engl. Pfl.N. auf die Kannenpfl. bei LINNÉ: Sofern an Opium als Droge zu denken ist, leuchtet die

Namensgebung sofort ein, wenn man **die in Asien üblichen, zylindrischen Opiumpfeifen** aus bis zu 5 cm dickem Bambusrohr **mit dem besonderen Mundstück**, aus dem das Tschandu geraucht wird, **und die charakteristische Gestalt der Kannenblätter zum Vergleich** heranzieht. Die Benennung LINNÉS geht ja von der auf Sro Lanka, also in Asien heimischen Art *N. distillatoria* aus und sucht im Artepitheton einen **weiteren Vergleich mit den Destillierkolben seiner Zeit....**“



ECCE FUMISUGIUM ASIATICUM QUO OPIUM FUMABATUR



ECCE VIR SINENSIS FUMUM OPII SUGENS



ECCE TERTIUM FUMISUGIUM OPIANUM



ECCE ALEMBICUS SIVE APPARATUS DISTILLATORIUS

CONCLUSIO

Helmodus Genaust etymologus botanicus putat *Carolus Linnaeus* nomine generico, quod est originis Homericae, alludere ad formam *fumisugii opiani*, quod sit laminae foliorum huius plantae aliquatenus

simile; epitheto, q.e. „distillatoria“ alludi ad formam *alembici, i.e. vasis distillatorii*.

Linnaeus huius plantae nomen genericum (Nepenthes) recepit a Breynio („*Assumsi synonymon Breynii*“). Nondum videtur scivisse hanc plantam foliis suis mirum in modum efformatis insecta allecta et capta vorare. Sed admiratur formam foliorum mirabilem, quibus aspectis dicit botanicum totum attonitum rapi admiratione: „*Quis Botanicorum longissimo itinere profectus, si mirabilem hanc plantam reperiret, non admiratione raperetur, totus attonitus, praeteritorum malorum oblitus, mirificam Creatoris manum dum obstupescens adspiceret?*”

ETYMOLOGIAM NOMINIS BOTANICI

QUOD EST

NEPENTHES DISTILLATORIA

PERSCRUTATUS EST

LEO LATINUS

MYTHI GRAECORUM

THESEUS QUID ATHENIS ET IN CRETA FECERIT



THESEUS A PATRE RECOGNOSCITUR.

A.1832 pinxit Hippolytus Flandrin Francogallus.

Athenis heros iuvenis neque invênit pacem neque laetitiam, quam exspectaverat. Cives ibi vexabantur discordiâ et perturbatione; domus autem ipsa Aegei patris statu erat misero. Nam Iasone miserrimo relicto Medea curru draconeo Corintho ex urbe per aërem vecta Athenas advenerat, ubi apud Aegeum senem versabatur, cui benevolentîâ captatâ promiserat se subsidiis magicis id effecturam esse, ut illius vires iuveniles redintegrarentur. Itaque rex Medeae fidem habebat. Ista autem mulier horrenda instrumentis suis magicis usa cum iam antea accepisset Theseum advenisse, nunc Aegeo propter civium discordiam suspicione imbuto persuasit, ut crederet iuvenem

peregrinum, quem rex filium suum nequaquam cognoverat, speculatorem esse periculosum ideoque necessarium esse, ut illum hospitio receptum veneno usus de medio tolleret. Itaque Theseus incognitus apparuit ad ientaculum invitatus gaudenter sperans patrem ipsum cogniturum esse, quisnam reverâ esset hospes peregrinus. Iamiam Theseo praepositum erat poculum veneno infectum, et Medea impatienter exspectabat illud momentum temporis, quo novus advena, a quo ne ex domo fugaretur timebat, primum haustum erat sumpturus tam efficacem, ut oculi herois iuvenis in aeternum clauderentur. At Theseus potius cum patrem amplectendum cuperet quam poculum ebibendum, simulans se velle carnes praebitas dissecare gladium illum destrinxit, quem pater olim post saxum deposuerat, ut Aegeus eodem aspecto filium recognosceret. Aegeus autem fulgidum telum sibi bene notum vix cum aspexisset, statim poculum veneni subvertit; nonnullis rogatis cum Theseus rectê respondisset, pater penitus persuasus coram se versari filium illum heroem florentissimum, quem sibi fore exoptaverat magno cum desiderio, tandem eum amplexus est amantissimê. Statim Aegeus filium apud populum congregatum introduxit, cui narravit de periculis quae subierat iter faciens et a quo salutatus est laeto cum iubilo. At Medeam magam fallacem cupidamque homicidii Aegeus rex nunc pertaesus ex terrâ expulit.

Primum facinus quod Theseus fecit ex eo tempore, quo filius rēgis et heres sedis regiae Atticae vixit iuxta patrem, fuit superatio quinquaginta filiorum avunculi sui Palladis, qui prius speraverant se potestatem regiam accepturos esse, si Aegeus mortuus esset filiorum expers, et qui irati erant, quod nunc rex Atheniensium non solum fuit filius Pandionis tantummodo adoptatus, qualis fuerat Aegeus, sed advena erat regnaturus in se suamque patriam. Itaque armis captis Theseo advenae insidias paraverunt. At praeco, vir alienus, quem secum duxerunt, hoc inceptum Theseo prodidit; qui certior factus nunc subito impetum in illorum latebras fecit et ad unum omnes quinquaginta prostravit. Ne hac defensione sui sanguinolentâ animos populi a se averteret, Theseus deinde audax facinus subiit faciendum, quod usui fuit communi: nam taurum superavit Marathonium, quo incolae quattuor oppidorum atticorum vehementer erant vexati; quod monstrum spectandum per Athenas duxit et denique Apollini immolavit.

Illo tempore ex insulâ Cretâ tertium venerunt legati rēgis Minois, ut acciperent tributum solitum. Quod postulabant causâ quae sequitur: Androgeos filius Minois, ut fama ferebat, in regione Atticâ insidiis erat interfectus. Itaque pater eius incolis bellum intulerat perniciosum, et ipsi dei terram vastaverant siccitate atque morbo contagioso. Tum oraculum Apollinis edixit iram deorum miseriasque Atheniensium finitum iri, si Minoem placavissent idque essent assecuti, ut ille sibi ignosceret. Deinde regem precati Athenienses pacem assecuti erant eâ sub condicione, ut nono quoque anno ad tributum pendendum in Cretam mitterent septem pueros septemque virgines. Qui adulescentes feruntur a Minoe inclusi esse in labyrintho eius illustri ibique aut fame sitique contabuisse aut a Minotauro animali atrocissimo, quod unâ ex parte esset homo, alterâ taurus, esse devorati. Nunc cum tempus adveniret tertii tributi pendendi et patres, quibus erant filii filiaeque connubio nondum coniuncti, eosdem debuerunt subicere sorti horribili, cives denuo de Aegeo indignati coeperunt murmurare illum, cui ipsi auctori totius miseriae nullam patiendam esse partem poenae dandae, advenam spurium cum rex fecisset successorem, aequo animo videre sibi eripi filios legitimos. Theseus autem de his querelis dolebat, cum iam soleret infortunium concivium non considerare alienum. Qui in concilio populi surrexit et declaravit se sine ullâ sortitione vitam suam sacrificare velle, ut tributum penderetur. Totus populus admiratus est eius animum ingenuum, qui concivium causâ paratus esset ad se sacrificandum; necnon îdem heros iuvenis, quamquam a patre urgentissimê rogatus, ne praematurê se privaret et filio et herede, quem accepisset feliciter et contra opinionem, in consilio capto permansit constantissimê. At patris animum tranquillavit eo quod confidenter affirmavit se unâ cum pueris virginibusque sorte electis non periturum esse, sed Minotaurum a se superatum iri. Usque nunc ea navis, quâ miseri adulescentes sacrificandi in insulam Cretam ferebantur, velis atris instructa erat emissa, ut indicaretur nullam restare spem. At nunc Aegeus filium tantâ cum confidentiâ loqui audiens navem adhuc instruxit eodem modo, sed gubernatori dedit alterum velum, quod erat colore candido, eidemque viro imperavit, ut Theseo salvo revertente hoc velum panderet; Theseo autem mortuo ut reverteretur panso velo atro malum in antecessum enuntians. Nunc cum sortes essent in urnam coniectae, Theseus iuvenis pueros atque puellas, qui erant electi, primo duxit in

templum Apollinis eidemque deo in consortium nomine obtulit ramum oleae lanâ albâ circumvinctum, quod erat anathêma hominum fidem deorum implorantium. Sollemnibus precibus factis, toto populo comitante, Theseus unâ cum adolescentibus virginibusque electis ad lîtus marinum iit inscenditque navem tristissimam.



THESEUS PETIT MINOTAURUM.
Pinxit Edward Burne-Jones (1833-1898).

Oraculum Delphicum Theseo suaserat, ut sibi ducem eligeret deam Venerem illamque precaretur, ut se duceret. Theseus hoc vaticinium non intellexit, tamen Veneri sacrificium obtulit. Bono autem successu oraculum ad veritatem est adductum. Nam Theseus Cretam assecutus cum coram Minoe rēge apparuisset, eius pulchritudine atque vigore heroico Ariadna filia rēgis lepidissima in amorem incidit. Quae iuveni clam amorem confessa eidem tradidit glomus fili, ut eius partem finale introitu labyrinthi alligaret ipsumque filum per meatûs erraticos progrediens sineret per manum evolvi, usque dum illum locum adveniret, quo Minotaurus vigilaret atrocissimus. Simul Ariadna Theseo tradidit gladium magicum, quo monstrum necare posset. Theseus unâ cum omnibus suis comitibus in labyrinthum

missus socios duxit, gladio magico Minotaurum interfecit, cum omnibus, qui secum adfuerunt, filo Ariadnae devoluto ex meatibus labyrinthi feliciter evasit. Nunc Theseus cum omnibus sociis effûgit Ariadnâ adiuvante atque comitante, quam heros iuvenis secum abduxit tamquam praemium pugnae lepidissimum, quod contra spem pepererat. Eâdem puellâ suadente alvos navium creticarum destruxerat, ne Ariadnae pater illos posset persequi. Iam credens praedam suam amabilem sibi esse certam, unâ cum Ariadnâ securus devertit in insulâ Diâ, quae postea vocata est Naxos. Tum Theseus in somno vidit deum Bacchum sibi explicantem Ariadnam esse fato sibi ipsi sponsam, et fore, ut omnia mala imminerent, nisi Theseus amatam relinqueret deo. Theseus autem, cum ab avo suo pietate esset imbutus, iram dei veritus filiam rēgis timore correptam lamentantem reliquit in insulâ solitariâ et navigare perrexit.

Nocte autem apparuit Bacchus verus Ariadnae sponsus illamque abduxit in montem Drium; ibidem primo evasit deus, brevi post etiam Ariadna evanuit. At Theseus eiusque comites virgine raptâ valdē contristati sunt. Cum tristes essent, oblîti sunt navem suam adhuc esse velis atris instructam, quibus pansis reliquerant oram Atticam; itaque non expanderunt vela candida; quo factum est, ut navis ad oram patriam volaret ornatu lugubri induta. Aegeus autem nave advehente modo ad oram in summo saxo prominente stabat libenter in mare apertum prospiciens. At subito velis atris conspectis rex conclusit filium suum esse mortuum. Tum dolore infinito correptus vitam pertaesus se praecipitavit in maris profunditatem; in eius memoriam hoc mare inde appellabatur Aegeum. – Interim nave appulsâ Theseus in portu sacrificia confecit profecturus deis vota et praeconem in urbem misit, qui nuntiaret septem adulescentes virginesque et se ipsum esse servatos. Nuntius autem cum advenisset, stupuit, quod a civibus receptus est modo miro et insolito. Cum enim îdem ab aliis laetissimê salutaretur et traditor nuntii laeti coronâ ornaretur, ab aliis summo maerori deditis verba eius laeta vix audita sunt. Tandem istud aenigma solutum est eo quod paulatim percrebrescebat regem Aegeum mortuum esse. Itaque praeco coronis acceptis non frontem exornavit, sed tantummodo caduceum, et ad lîtus revertit. Ibidem incidit in Theseum adhuc in templo sacrificantem; itaque ante portam templi stans remansit, ne sacra actio perturbaretur nuntio lugubri. Sed ubi

primum holocaustum est perfectum, îdem vir nuntiavit Aegeum animam efflavisse. Tum Theseus dolore tamquam fulmine ictus humum se proiecit, et cum resurrexisset, omnes in urbem properaverunt, non, ut putaverant, iubilantes, sed gementes atque lamentantes.

(Sequentur cetera)

MYTHOS GRAECOS
A GUSTAVO SCHWAB
THEODISCE NARRATOS
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS

FABELLA GRIMMIANA (101)

De diabolo veste viridi induto



Aliquando fuerunt tres fratres, qui fratrem minimum iterum iterumque repellebant; exituri autem et in terras longinquas abituri illi dixerunt: „Nos te non egemus, fac ut migres solitarius.“ Itaque îdem frater ab aliis relictus non potuit, quin solus iter faceret; tum in magnum ericetum veniens valdê esurivit. In ericeto autem stabant arbores in orbem positae, quibus cum subsedisset, lacrimas effundere coepit. Subito autem fremitu audito vir cum suspiceret, diabolus advênit veste viridi indutus pede equino instructus et illum sic allocutus est: „Quidnam mali tibi accidit, ut lacrimas?“ Deinde vir illi de miserîâ suâ lamentatus est: „fratres mei me reppulerunt.“ Tum diabolus: „Te quidem“ inquit „adiuvabo. Indue hanc vestem viridem, quae habebit sacculos semper auri plenos, quandocumque eosdem aperueris; at pro eâ veste a te postulo, ne te laves per septem annos, neve capillos pectas neve precibus ores. Si intra spatium horum septem annorum mortuus eris, eris meus; sed si vivus manseris, lîber eris et dives per

spatium vitae tuae reliquum“. Tum necessitate adductus vir accepit rem a diabolo praebitam; is vestem viridem exuit, induit vir et manu sacco imposita sensit eundem esse pecuniae plenum.

Nunc veste viridi induta vir in longinquum profectus est, primo anno bene se habuit, pecuniam suam cum solvere posset pro re quâcumque a se exoptatâ, adhuc aliquatenus habebatur pro homine. At altero anno peius se habuit, nam capilli iam creverant in tantam longitudinem, ut a nemine agnosceretur et a nemine hospes reciperetur, quia aspectu erat taeterrimo. Quo diutius tempus procedebat, eo peius vir se habebat, sed pauperibus ubique dabat pecuniam, ut pro se orarent, ne intra septennium moreretur neve in manûs diaboli incideret. Aliquo die anni quarti vir in cauponam vênit, caupo noluit eum recipere, sed vir e sacculis magnam copiam nummorum exêmit et pecuniam solvit in antecessum, deinde tandem accepit conclave, ubi pernoctaret. Vespere audivit in conclavi iuxta sito aliquem hominem gementem, tum illuc iit ibique conspexit senem lacrimantem et lamentantem, qui sibi dixit, ut abiret, quia se adiuvere non posset. Deinde vir e sene quaesivit, quidnam mali ei accidisset; senex autem respondit se nullam habere pecuniam, sed cauponi multam debere, nunc in vincula coniectum tam diu detentum iri, dum pecuniam resolveret. Tum vir veste viridi indutus: “Si res” inquit “est tantula, pecuniae mihi est sat multum, qua debitum solvam”, et senem ab aere alieno liberavit.



Senex autem, cui fuerunt tres filiae pulchrae, viro dixit, ut secum abiret; nam praemio accepturum esse unam ex filiabus suis. Tum senex virum secum domum adduxit; at cum advenirent, filia natu maxima viro aspecto clamavit se omnino nolle nubere homini taeterrimo, qui humanâ formâ orbatus aspectum haberet ursi; altera quoque filia aufugiens maluit abire in terras longinquas; minima autem: „Care pater, quia in miseriam adductus ab illo adiutus hoc pollicitus es, parata sum tibi oboedire.“ Tum vir veste viridi indutus anulum de digito detractum diffregit, unam partem dimidiam puellae dedit, alteram sibi retinuit. Parti autem puellae inscripsit nomen suum, suaeque nomen puellae, et dixit, ut illa bene reconderet anulum dimidium. Deinde paulisper apud illam remansit et tum dixit: „nunc tibi sum valedicturus, abero per triennium, quo spatio fidelis mihi maneat, postea revertar, ut celebremus nuptias; sed si post triennium non revenero, lîber eris, nam ego ero mortuus; sed ora pro me, ut Deus mihi donet vitam.“

Per triennium ambae sorores maiores filiam minimam iridentes dicebant illam non posse, quin nuberet urso, non accepturam esse maritum humanum. Puella autem tacebat cogitans se debere patri oboedire, quaecumque fierent. Sed vir veste viridi indutus migrabat per mundum, saepe manum sacculo imponebat sponsaeque suae emebat res pulcherrimas quascumque conspexerat, nil mali faciebat, sed bonum ubicumque poterat, et pauperibus dabat, ut pro se orarent. Tum Deus virum tantâ in gratiâ habuit, ut îdem annis labentibus maneret vivus atque salvus. Tempore transacto vir iterum foras iit in ericetum arboribusque subsedit in orbem positus. Tum iterum fremitu cum vehementissimo diabolus advênit et mussitans et pus et venenum evomens viro obiecit vestem eius priorem viridemque postulavit. Tum iuvenis laetê vestem viridem exuit diaboloque reddidit; ita factum est, ut esset lîber et dives in sempiternum. Deinde domum reversus se purgavit et ornavit et profectus est ad sponsam suam. Cum portam adveniret, socer in eum incidit, sed is iuvenem non recognovit neque voluit ei credere. Tum ascendit ad sponsam, sed ea quoque noluit credere. Tandem ex eâ quaesivit, num adhuc haberet anulum illum dimidium. Tum sponsa hoc affirmavit et abiit et anulum apportavit; iuvenis autem partem anuli suam e sacculo exemptam posuit iuxta partem alteram. Tum una ad alteram partem optimê cum quadraret,

certum fuit iuvenem neminem esse nisi sponsum puellae. Ea autem nunc cum videret sponsum suum esse virum formosum, gavisata est illumque amavit; ita factum est, ut iuvenis et puella nuptias celebrarent; ambae autem illae sorores, cum vitam assecutae essent parum felicem, tam vehementer stomachatae sunt, ut die sororis minimae nuptiali una maior aquis se submergeret, altera laqueo se suspenderet. Vespere aliquis fremens ianuam pulsavit, et sponsus cum huc venisset et aperuisset, diabolus ibi stetit veste viridi indutus et dixit: „En vide, pro unâ animâ tuâ nunc accepi duas!“

FABELLAS PUERILES ET DOMESTICAS

A IACOBO ATQUE VILELMO GRIMM

THEODISCE NARRATAS

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM UNDEVICESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

Die Dominicâ, 20. m.Septembris a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae